R

DE ANTIQVISSIMO VRBIS GRIMAE STATV

BREVI COMMENTATIONE
EX
VETERVM MONIMENTIS
DISSERIT

M. HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS
GYMNASII ILLVSTRIS GRIMENSIS CONRECTOR.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA
MDCCXXXV.



DE
ANTIQVISSIMO VRBIS GRIMAE STATV.

§. I.



On ſatis mirari poſſum quorundam rerum Germanicarum, et inprimis Miſnicarum, Scriptorum temeritatem, qui, vrbium Germaniae, et terrae Miſnicae, originem et antiquitatem, a temporibus natiuitatis Chriſti, Seruatoris generis humani optimi, et vltra ea, repetendam eſſe, exiſtimant. Qui hiſtoriarum conditores, ſi monimentis, fide dignis, et teſtimoniis probatorum ſcriptorum, ſuam confirmarent ſententiam, nemo non eis fidem facile adhiberet. Quia vero ſine antiquiſſimorum auctoritate ſcriptorum loquuntur, et, quae in medium proferunt, nullis argumentis comprobare ſolent, mera eſſe figmenta, et inanes fabulas, nullis, neque peregrinis, neque domeſticis, monimentis ſubnixas, antiquam repetituris memoriam illico patebit. In horum numerum referendum omnino cenſeo LAVRENTIVM PECCENSTEINIVM, auctorem rerum, in patria geſtarum, ſatis celebrem, qui, in Poliographia Saxoniae, Miſniae et Thuringiae, a) affirmat: inſignem ſua aetate fuiſſe virum, antiquitatum indagatorem ſolertiſſimum, qui, in antiquiſſimo documento MSto, in Cella veteri, quondam viſo et lecto, haec verba, de duabus Miſniae vrbibus antiquiſſimis conſignata, inuenerit:

Hayn und Grim, die beyden älteſten Städte in Oſterland,
Sind allerdinge vor Chriſti Geburth bekannt.

a) Part. III. Theatr. Sax. pag. 72.

§. II.

Quod si vero huius insignis et eximii Viri nomen produxisset, vel documentum in Cella veteri olim visum protulisset modo dictus PECCENSTEINIVS, rem Historico dignam fecisset. Aliorum enim relationibus et commemorationibus fidem habere non licet in rebus, ante multa secula gestis, quas neque oculis vidimus, neque ex monimentis percepimus. Et, quamuis multa eiusmodi in scriptis huius auctoris reperias, quae castiganda sunt, et iam dudum a viris celeberrimis sit demonstratum, b) longe eum infra ALBINVM, et GEORGIVM FABRICIVM, esse; sunt tamen non pauci, qui, verbis huius scriptoris inhaerentes, hanc sententiam, de antiquitate vrbium Grimae et Haynae, vltra natiuitatem Christi repetenda, sine vllo argumento et testimonio, aliis obtrudere conantur. Ex quibus duos tantummodo, vt breuis sim, proferam, SEBASTIANVM MANNVM, qui in descriptione Haynae, c) vrbis suae patriae antiquitatem, ex hoc adducto rhythmo, in Cella veteri quondam reperto, probare contendit, itemque IO. CONRADVM CNAVTHIVM, qui, vestigia horum secutus, iisdem vti verbis non dubitauit. d) Alios iam tacitus praetereo, qui, auctoritate horum decepti, vel literis hanc opinionem, falso conceptam, prodere, vel, in conspectu praestantissimorum virorum, proferre, non erubescunt. Ego eadem verba ex ore viri grauis et conspicui, sed omnis historiae imperiti, percepi, qui, aliquot abhinc annis, in conspectu summi aulae Saxonicae Ministri, quem Deus in salutem patriae conseruet, per hanc vrbem iter facturi, antiquitatem vrbis Grimae hoc modo confirmare non dubitabat: Domine Excellentissime, haec turris, quae arci Grimensi contigua, iam ante natum Christum condita est. Qui Minister, auctoritate praeditus, subridens paucis respondebat: *quidni ante mundum conditum?* Atque sic satis declarabat, vanas et aniles esse fabulas, in Historiis, sine veterum testimoniis, pro certo aliquid asserere. In Osterlandia vrbes has duas antiquissimas, a PECCENSTEINIO commemoratas, sitas fuisse, nemo fere dubitat. Erat enim Osterlandia regio Saxoniae superioris inter fluuios, Salam et Muldam, a fontibus Elystri incipiens, desinensque circa Halas et Martisbur-

b) vid. illustris Schurzfleischius, in disput. de March. Misnens. p. 1.

c) An. 1663. 4to.

d) in prodromo Misniae p. 193.

burgum, ita dicta ratione Thuringorum, quibus Orientem versus finitima, vnde nonnullis Ostduringia, siue Ostlandia, nominatur, de qua re conferenda est dissertatio de veteri Osterlandia, quam celeberrimus D. ADAMVS RECHENBERGIVS habuit. e)

e) Lips. 1691.

§. III.

Quibus fabulis, de vrbis Grimae antiquitate, de qua inprimis mihi iam sermo erit, a temporibus natiuitatis Seruatoris nostri repetenda, tantum abest, vt accedam, vt potius, ex rerum gestarum conditoribus, si non ante, tamen breui post natum Christum degentibus, historiasque fide dignas consignantibus, satis dilucide probare queam, antiquissimis Germanis nullas iis temporibus vrbes munitas fuisse, sed dispersos habitasse illos, et vicos tantum incoluisse. Testem huius rei, omni exceptione maiorem, C. CORNELIVM TACITVM produco, qui inter Romanos quidem vixit, res tamen Germanicas non ignorauit, quas ex consuetudine cum Germanis, et multis variisque bellis acerrimis, ab vtraque gente susceptis, percipere potuit. Hic, in elegantissimo libro, de Germania, siue, de situ et moribus populi Romani, f) aperte inquit: *Nullas Germanorum populis vrbes habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti et diuersi, vt fons, vt campus, vt nemus, placuit. Vicos locant, non in nostrum (Romanorum) morem connexis et cohaerentibus aedificiis suam quisque domum spatio circumdat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia aedificandi.*

f) cap. XVI.

§. IV.

Quae Germania cum iam ante Taciti tempora, et quidem C. Iulii Caesaris, in Gallia tum versantis, aetate, in *Cisrhenanam* et *Transrhenanam* diuisa fuerit, prout ex libro quarto, g) de Bello Gallico, patet, non immerito quaeritur, de qua Germania TACITVS hoc loco loquatur, in qua nullas fuisse vrbes scribit? De Germania Transrhenana, ratione Galliae ita dicta, in qua tum temporis viuebant Romani, quae etiam *Germania magna* appellatur, TACITO sermonem esse, argumentis satis claris et perspicuis demonstrarunt iam dudum doctissimi viri, et, inter eos, Polyhistor excellentissimus, HERMANNVS CON-

g) cap. XVI.

RINGIVS, in elegantiſſima de vrbibus Germanicis exercitatione, Helmſtadii habita, h) et celeberrimus BVRCARDVS GOTTHELF STRVVIVS, in Hiſtoria Romani Imperii Germanici, patrio ſermone edita. i) In ea vero Germania, quae Romanis, ratione Galliae, in qua bella eo tempore gerebant, *Ciſrhenana* dicta, et nobis, contra, *Tranſrhenana* vocatur Germanis, Germaniae fines incolentibus, vrbes omnino fuiſſe, ipſe TACITVS non ſemel alibi prodidit. Negandum quidem non eſt, ſed ingenue fatendum: nonnullos ſcriptores exiſtimare, auctoritate fretos IVLII CAESARIS, in Libro de Bello Gallico et k) CLAVDII PTOLEMAEI, quem poſt Taciti tempora, et quidem aetate Antonini, Geographica conſcripſiſſe, conſtat, etiam in *Tranſrhenana Germania,* prout Romanis appellata fuit, vrbes tum temporis fuiſſe, quas ego illi iam detractas volui. Commemoratus enim IVLIVS CAESAR et Sueuis, et Vbiis, qui non poſſunt non inter Tranſrhenanos, ex habitatione Romanorum, referri, ſua attribuit oppida, inquiens l): *Sueuos, poſtquam, per exploratores, pontem fieri, comperiſſent, more ſuo, conſilio habito, nuntios in omnes partes dimiſiſſe, vti de oppidis demigrarent, liberos, vxores, ſuaque omnia, in ſiluas deponerent.* Idem Vbiis imperat, m) vt pecora deducant, ſuaque omnia ex agris in oppida conferant. Et PTOLEMAEVS vel nonaginta loca Germaniae magnae, ſiue Tranſrhenanae, ratione Romanorum, recenſet, πόλεων nomine. Sed ad haec iam olim antiquitatum peritiſſimi reſponderunt viri, per πόλεις non oppida bene munita, in qua quidem ſignificatione ſaepe auctores adhibent, ſed, hoc loco, vicos, minus munitos, vel loca, nullis muris cincta, et facile euertenda, denotaſſe Ptolemaeum. Id quod in primis ex teſtimonio Herodiani probare contendunt, qui, in Hiſtoria rerum Maximini, n) ait: *Vicos omnes* (κώμας) *militibus incendendos diripiendosque conceſſit.* Addit ſtatim cauſam: *namque oppida eorum* (πόλεις αὐτῶν) *et aedificia omnia, ignis facile conſumit.* Exinde ergo liquet, per πόλεις, auctorem hunc κώμας denotaſſe.

h) An. 1641.

i) cap. I. §. 31. et §. 35.

k) Lib. IV. c. 19.

l) Lib. IV. Bell. Gall.

m) Lib. VI. c. X.

n) Lib. VII. c. 2.

§. V.

Ad terras potius, quas his temporibus inhabitamus, Miſnicas progredior, vrbes eius antiquiſſimas, ante Chriſtum natum

tum, conditas, perquisiturus. Vt vero ordine omnia conficiam, quae ad hoc pertinent argumentum, primo loco mihi de populis antiquissimis dicendum est, Misniam, ita hac aetate dictam, incolentibus, et tum facile de vrbibus huius regionis iudicare licebit. Ante et circa tempora Christi Hermunduros, Sueuorum reliquias, has terras obtinuisse, nemini ignotum est. o) De huius populi appellatione multi multa proferunt. Sunt, qui ab Hiera, vel Gera, fluuio Thuringiam secante mediam, dictos credunt quasi Hieramunduros. Alii, a silua Hercinia, Hartzmannos vocant. p) Nonnulli ab exercitu et armis, nomen traxisse, scribunt, et Heermannos, siue bellicosos, a Romanis appellatos contendunt, de qua re legendus est ZACHARIAS SCHNEIDERVS, in Chronico Lipsiensi. De aliorum deriuationibus nihil, in praesentia, dicam. Quas vero terras, praeter Misnicas, obtinuerint, et quam late habitauerint Hermunduri, non vna, sed multiplex, et varia, scriptorum antiquissimorum, ex quibus de sede eorum iudicandum, est sententia. Ad Albim, et quidem trans fluuium, versus ortum solis, eos habitasse, confirmat STRABO, qui aetate Augusti, Romanorum Caesaris, vixit, in Geographia q) cum inquit: *Μέρος δέ τι αὐτῶν (Σουήβων) καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ἐυμόνδοροι* (legendum *Ἑρμόνδοροι*) *καὶ Λαγκόσαργοι.* Si ergo Longobardis fuerunt proximi iam commemorati Hermunduri, et, vna cum his, suis sedibus trans Albim eiecti et expulsi sunt, sine dubio a Semnonibus, qui maximam Germaniae partem iis temporibus in sua potestate habuerunt; non immerito inde colligunt clarissimi spicilegii curiosi Superioris Saxoniae, r) Longobardos, in Ducatu Magdeburgico, versus Marchiam Brandenburgicam, Hermunduros vero vicinos, in Ducatu Anhaltino, et aliis circumiacentibus regionibus, habitasse. VELLEIVS PATERCVLVS Hermundurorum fines quoque descripsit, qui, capite centesimo sexto libri secundi, Albim Semnonum et Hermundurorum fines praeterfluere, obseruauit. Neque minus CORNELIVS TACITVS huius rei mentionem fecit, qui, Hermunduros proximos Ligiis, id est Silesiis, vt Hanckius de Silesiorum nominibus interpretatur, fuisse scribit s) cum ait: *Iazyges, obsidionis impatientes, et proximos per campos vagi, necessitu-*

o) vid. Albini Chron. Misn. p. 39.

p) vid. Weisius in antiquit. Misn. Saxon. p. 20.

q) Lib. VII. prim. p. 339. Edit. Basil.

r) Part. I. pag. 3.

s) Annal. L. XII. c. 30.

cessitudinem pugnae attulere, quia Ligius Hermundurusque illic ingruerant. Idem quoque, Cattis vicinos fuisse, et certamen inter Cattos et Hermunduros de Salinis, sine dubio Halensibus, vt Cellarius existimat, in Geographia, ortum, et illos infelices, hos vero superiores discessisse, commemorat. t)

t) *Annal. L. XIII. c. 57.*

§. VI.

Facile ex his patet, Hermunduros ab Albi ad Salam vsque habitasse. Quia vero Albim, inclytum et notum flumen, in Hermundurorum finibus oriri, Tacitus scribit; u) in eo errasse hunc auctorem, PHILIPPVS CLVVERIVS, in Geographia antiqua, w) existimat, eo, quod in fine capitis haec addiderit verba: *Nunc tantum auditur.* Albim potius ab ortu Hermunduros Septentrionales finiisse, Australes iuga Bohemica, siue montes Sudetûm, et limites Nariscorum, putat. Hos igitur terminos dat Hermunduris modo dictus CLVVERIVS: Quicquid inter Salam et Albim est, pars Anhaltini Principatus Ducatusque Saxonici, Misnia fere tota, Voigtlandia tota, Coburgensis Ducatus pars, Brandenburgicae ditionis oppida, Culmbach, Cronach, Bareyth, Franconiae pars, ad laeuam Moeni ripam, haec omnia ad Hermunduros spectarunt. Sed multa de Silesiis, et aliis, omisit. Paucis verbis rem omnem complexus est CHRISTOPHORVS CELLARIVS, in Geographia antiqua, x) vir in hoc studiorum genere incomparabilis: *Proximi, inquiens, a Danubio sunt Hermunduri, perlongo tractu, ad Salam vsque confluentem, habitantes.* Clarissimi auctores spicilegii Saxoniae superioris, parte prima, existimant: Hermunduros aliquamdiu trans Albim sedem habuisse, et hunc fluuium per fines eorum transiisse: postea vero, scribunt, distractos fuisse, et partem eorum ad fines Silesiorum abiisse, ibique vsque ad tempora Constantini, permansisse, alios vero, Septentrionalem Misniae partem ingressos, cum Cattis decertasse. Sed de vrbibus, ab Hermunduris, ea aetate, conditis, ne vllum quidem apud Scriptores antiquissimos vestigium apparet. Vnum huius rei testem STRABONEM produco, qui, vt de aliis rebus, ita de Hermunduris, et vicinis populis, qui, in his terris habitarunt, in Geographia y) inquit: *Hermunduri ab vno in alium migrare locum solent, et vilissimo vitae genere vtuntur, nullam agri-*

u) *in Germania cap. 41.*

w) *pag. 609.*

x) *p. 484.*

y) *Lib. VII.*

agriculturae et pretiosae supellectilis curam agentes. Habitant in casis, quas in dies nouas exstruere possunt, quocunque veniunt, ea in loca migrare solent facile, quae largiores et copiosiores pastus pecoribus praebent, suaque omnia, quae habent, currui, cum discedunt in alium locum, imponunt.

§. VII.

Quae cum clara satis et perspicua sint, quisque facile iudicabit, *Grimam* ab Hermunduris, aetate Christi, minus conditam esse. Qui populi nullam oppidi, nedum vici, aedificandi, cogitationem vnquam susceperunt, quibus, per superiorum edicta, neque cum pluribus, ad habitandum, vnum in locum coire licebat, et raro eodem in loco diu morati, ne scilicet, agriculturae studio, vsum belli intermitterent, et, sub tecto, bene munito, delicatius et mollius paulo viuentes, languescerent et effeminarentur. Discreti ergo, vt ex CORNELIO TACITO iam supra demonstratum, sicut in Germaniae locis, ita in agro Grimensi, natura bono, et ad pascendum pecudes bono, sine vicis et oppidis habitarunt, fluuii et nemoris amoenitate, ab ortu solis, incitati. Quae cum alio loco rectius meliusque secum reputaret PECCENSTEINIVS, sui oblitus, scribit: z) *Einmahl ist gewiß und unläugbar, daß bey der* Hermundurorum *Zeiten wohl keine bemaurete Städte dieses Orts gewesen, und erst mit der Wenden Ankunfft angefangen. Denn aus den Historien wissend, daß die vorigen Einwohner nur bloß auf Dörfern, oder in offenen Marckt-Flecken, gewohnet, welche sie* pagos *genennet, jedoch einem jeden seinen gewissen Refier zugetheilet.*

z) *Poliogr. p. 52.*

§. VIII.

Qui Hermunduri etsi seculo primo, a Christo nato, in suis sedibus pacem et amicitiam cum Romanis coluerint, cuius rei testis est CORNELIVS TACITVS, in Germania scribens: a) *prope Sueuos est Hermundurorum ciuitas fida Romanis: eoque Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhetiae Prouinciae colonia. Passim sine custode transeunt, et, cum ceteris gentibus arma modo, castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus;*

a) *cap. 41.*

ſub Antonino tamen Philoſopho, Imperatore Romanorum, ſeculo ſecundo, vna cum vicinis Germaniae populis, lites et contentiones cum Romanis aluerunt, et ab iis victi ſuperatique leguntur. Quod teſtatur *Capitolinus*, in Antonino Philo-
b) cap. 22. ſopho. b) *Gentes omnes, ab Illyrici limite vsque Galliam, conſpirauerunt contra Romanos, vt Marcomanni, Nariſci, Hermunduri, Quadi, Sueui, Sarmatae.* Seculo quarto eorum adhuc fit a ſcriptoribus mentio, temporibus Conſtantini Magni. Cum enim Gebericus, Gothorum Rex, cum Vandalis bellum gereret, fines horum a *Iornande*, de rebus
c) cap. XXII. Geticis, c) ita deſcribuntur, vt Hermunduri pariter occurrant, dicendo: *Erant namque Vandalis tunc ab Oriente Gothi, ab Occidente Marcomanni, a Septentrione Ermunduli (Hermunduri) a meridie Hiſter, qui et Danubius appellatur.* De vrbibus vero Hermundurorum, hac aetate conditis, ſilent rerum geſtarum conditores, neque vllum apud eos vrbis Grimae veſtigium deprehenditur.

§. IX.

Iis, quae ſecuta ſunt, ſeculis, a ſcriptoribus antiquiſſimis peregrini populi, *Sorabi*, orti Sclauorum genere, in his terris commemorantur, qui, Hermundurorum fines, nomine eorum plane oppreſſo, ingreſſi, ditiones quoque, quas hi obtinuerant, in ſuam redigere poteſtatem ſunt auſi. Ab hac quidem ſententia diſcedit celeberrimus RECHENBERGIVS, in Diſſertatione, de veteri Oſterlandia, exiſtimans: *vetus Hermundurorum nomen in Duringos, ſiue, Thuringos, abiit, ſyllabis duabus ab initio, ob celeritatem in efferendo, abiectis, atque duri, in voce Hermunduri, in* ingi *mutato, ſicut quoque in aliis nominibus gentilitiis ita fieri conſueuit apud Francos; quando pro Merouei, Merouingi, Caroli, Carolingi, Lotharii, Lotharingi, ſubſtituerunt.* Quem ſecutus eſt WEISIVS, in antiquita-
d) pag. 37. tibus Miſnico-Saxonicis, d) qui Thuringos Hermundurorum filios appellat, et ſyllabam *ing* progeniem notaſſe, pluribus exemplis confirmare contendit. Sed Thuringos, ſiue Duringos, eadem, qua Hermunduros aetate floruiſſe, ex VE-
e) Lib. IV. c. 6. GETIO RENATO, e) et Thuringiam ſimul Septentrionalem

trans

trans Vnſtrutum, et Ockeram, Auſtralem ab Vnſtruto ad Moenum, Orientalem ad Salam, Occidentalem ad VVerram, ſitam fuiſſe, ex multis antiquiſſimis ſcriptoribus, probat celeberrimus SPENERVS, in Notitia Germaniae medii aeui. f) *f) p. 439.*

§. X.

Qui Hermunduri, de quibus ſupra dictum eſt, ſedes, quas obtinuerant, retinentes, neque amplius cum Romanis bella gerentes, otio vſi ſunt et tranquillitate, vſque ad impreſſionem peregrini illius populi Sarmatici, qui, generali nomine, *Slaui, Sclaui, Sclauini, Venedi:* ſpeciali vero, *Serui, Serbi, Sorabi*, vocati ſunt, quemadmodum Venedi, Luſatiae partem noſtra aetate incolentes, ſe ipſos *Sserbie* appellant. Variis etiam nominibus, prout diuerſas inhabitarunt terras, hi Venedi diſcreti fuerunt. Dicti ſunt Bohemi, qui Boiohemum retinuerunt: Maharenſes, qui ad Marum, poſtea Maharum appellatum, accoluerunt: ad Salam vſque ſedem habentes, *Sorabi* dicti ſunt. Nunc diſpiciendum eſt, quibus ex locis in has terras venerint hi populi. Meminit eorum CLAVDIVS PTOLEMAEVS, in Geographia, g) qui temporibus Caeſaris Auguſti, vixit, et ſedem iis inter montes Ceraunios, et flumen Rha, vel Wolga, attribuit. C. PLINIVS SECVNDVS, eiusdem aetatis ſcriptor, Serbos eis annumerat populis, h) qui prope paludem Moeotidis habitarunt, inquiens: *Inde Maeotis lacus in Europa dictus. A Cimmerio accolunt Maeotici, Vali, Serbi, Arrechi, Zingi etc.* Inde, finibus ſuis egreſſi, in Europam, et quidem in Seruiam, ampliſſimam olim prouinciam, ſe contulerunt, de qua migratione legendus eſt CONSTANTINVS Porphyrogennetus, de adminiſtrando imperio, i) qui ait: *Sciendum eſt, Seruios oriundos eſſe a Seruiis non baptizatis, qui etiam Albi cognominantur, et vlteriora Turciae incolunt, in loco ab iis Boici nuncupato, cui finitima Francia eſt, vti et magna Chrobatia baptiſmi expers, quae etiam Alba cognominatur.* In illis ergo locis initio Seruii, de quibus ſermo eſt, habitarunt, Serbi quoque et Sorabi dicti. In has terras Miſnicas, Salam inter et Albim ſitas, per Morauiam et Bohemiam, migrarunt illi, vt ſedem et domicilium rerum fortuna-

g) Lib. V. c. 9.

h) Hiſt. Natur. Lib. VI. cap. 7.

i) cap. 31.

tunarumque suarum ibi figerent, fertilitate agrorum delectati, vel, vt DAVID PEIFERVS, in Lipsia, ait, vt in terra suaui et amoena nidos construerent. DITMARVS MERSEBVRGENSIS, qui rerum in Misnia olim gestarum peritissimus fuit, sub initium Libri primi Historiae suae, duo Soraborum genera in has regiones peruenisse, et campos, inter Albim et Salam sitos, occupasse, scribit: *Daleminciós* et *Milcienos*, a nominibus regionum suarum, quas antea in Dalmatia obtinuerant, facta vero migratione, dereliquerant, appellatos: et prouinciam *Daleminci*, ab Albi vsque in Caminizi, fluuium, porrectam fuisse, *Milcienos* haud procul vrbe *Misni*, quam Henricus postea iuxta Albim condidit, et a fluuio Misa ita appellauit, totique regioni inde nomen dedit, habitasse, affirmat. Sunt non nulli, qui his *Lusicos* annumerant, et, per eos Lusatos intelligendos, asserunt, de quibus, et de pago eorum, Lucizi, idem auctor, Ditmarus, Libro demum septimo, mentionem facit. Hi Sorabi, Dalmatia egressi, et oppidorum, et locorum, quae inhabitauerant, adhuc memoriam animis recolentes, et has terras inuadentes, prouinciam, et pagum, Daleminzam, eodem nomine appellitare soliti sunt.

§. XI.

Quo vero tempore hi Sorabi in has regiones irruptionem fecerint, de eo scriptores, qui de his aliquid memoriae prodiderunt, inter se non consentiunt. Ipsi Sorabi, rudes admodum, rerumque imperiti, nihil literarum monimentis de eo consignatum reliquerunt. Et, quos finitimos habebant, populi eadem inscitia et oscitantia laborabant. Qua de re PETRVS ALBINVS, et GEORGIVS FABRICIVS, nihil certi de annis, quibus Misniam ingressi sint, affirmari posse, docent. Sunt non nulli, qui, sub finem Seculi quinti, vel sub initium sexti, has terras eos inuasisse, contendunt, inter quos est IACOBVS CAROLVS SPENERVS, qui, ex IORNANDE, Seculi sexti scriptore, et PAVLO DIACONO, in Notitia Germaniae antiquae, id confirmat. k) DAVID PEIFERVS, in Lipsia, ex SIFFRIDO Misnensi, probat, non nullos Ostduringorum, circiter annum Christi DXII, ad Albim, non procul Mezibogo

k) cap. IV. p. 385.

(Magde-

(Magdeburgo) adhuc fediffe, poftea vero in vnam gentem cum Sorabis coaluiffe, et Salinas Halenfes occupaffe, a Salis praeftantia, *Dob rebore* dictas. *) Celeberrimus RECHENBERGIVS, fupra laudatus, de veteri Ofterlandia, hanc Sclauorum migrationem anno CCCCLI, factam effe, ait: *Nobis quidem, in tanto fcriptorum diffenfu, de primo Slauorum acceffu, quid certi ponamus, non liquet. Sufficiat ergo, noffe, quod Hermundurorum prefferint veftigia, Ofterlandiam quoque hoc modo incolentes. Hos Slauos, feu Sarmatas, qui et aliis Sauromatae audiunt, terras olim coluiffe ampliffimas, in vtraque orbis parte, Europa et Afia, firmo ftabilique confenfu, Geographi pronunciant. Et, cum Attila, Hunnorum Rex et tyrannus famofiffimus, fuperatis Sarmatis, Alanis, et Oftro-Gothis, figna quoque infefta Francorum regno inferre molitus eft, iunctis Sarmatarum, feu, Slauorum Scytharumque populis, eodem tendit per Thuringiam, ingenti prorfus multitudine, vt feptingenties mille homines exercitum cepiffe, literis mandatum inueniamus. Expeditione hac confecta, in hiberna conceffit in Duringiam, cum Slauis, fiue Sorabis, ibidemque longius fubfiftens, Sorabis, vt Oft-Duringiam, feu Ofterlandiam, deinceps habitarent, caufam praebuit, quod in annum natiuitatis Chrifti CCCCLI, iuxta quosdam, incidit.* Huic fententiae accedunt clariffimi auctores fpicilegii curiofi Hiftoriae Saxoniae fuperioris, qui, l) Sorabos cum Attila, Rege Hunnorum, in has regiones perueniffe, eoque recedente, in iis remanfiffe, et fedem in iis fixiffe, exiftimant, eo, quod ANNALISTA SAXO Hunnos antiquos Soraborum amicos appellitet, probetque, quod haec amicitia ex prima migratione in has terras contracta fit. M. CHRISTIANVS HENRICVS WEISIVS, fexto, poft Chriftum natum, feculo, Sorabos, a Slauis ortos, ex Sarmatia erumpentes, hanc regionem armis fubegiffe, et Sorabiam inde dictam, in antiquitatibus Mifnico-Saxonicis, demonftrat. m)

*) *p. 53.*

l) **Part. II.** *p. 192.*

m) *p. 11.*

§. XII.

Quamuis vero annum, quo in has terras venerint, definire, in tanto diffenfu, minus liceat; id tamen certum eft, vrbes munitas, ab anteceffforibus conditas, Sorabos, in his lo-

cis,non deprehendiſſe. Nemo ſcriptorum antiquiſſimorum de iis aliquid commemorat, neque vlla coniectura colligi poteſt, ante tempora illorum munitas vrbes in Miſnia fuiſſe, cum ſupra demonſtratum ſit, Hermunduros diſcretos in agris, ſine vrbibus, habitaſſe. Ex variis tamen documentis probari poteſt, Sorabos Venedos in his oris quaedam caſtella, pro temporum illorum conditione, contra hoſtium impetus, condidiſſe, ex quibus vrbes, ſequentibus temporibus, factae, quae, eadem nomina ab iis impoſita, retinuerunt. Non temere, et ſine cauſa, his caſtellis munitis, nomina dederunt, ſed, vel a ſitu, et natura locorum, vel a iugis montium, vel a vallibus, vel ſiluis locisque, vel fluuiis denique praeterfluentibus, et in primis ab appellatione et memoria vrbium, in patria ſua relictarum, deſumta, iis tribuerunt.

§. XIII.

Sunt quidem, quod negare non poſſum, qui, ante Henrici Aucupis tempora, vrbes munitas in his terris a Sorabis conditas eſſe, ſcribunt, ex quibus PETRVM ALBINVM produco, qui, in Chronico Miſniae n) plurima oppida Miſniae a Sorabis exſtructa eſſe, arbitratur. Profert eo conſilio nomina vrbium, ex lingua Venedorum, ſiue Soraborum, orta, vt ſententiam ſuam confirmet, nimirum, Lipiz, Zitiz, Rochliz, Coldiz, Chemniz, Deliz, Lobeniz, Sckudiz; item Doblin, Mogelin, Wurzin, Nuſſin, Korin, Stolpin, Miſſin, Dalin, Luzin, Turgowe, Pirnowe, Zwickowe, Pegowe, Strelowe, Tuchowe, et alia. Ex his tamen nominibus Venedorum demonſtrare non poteſt commemoratus Albinus, haec loca omnia fuiſſe oppida, a Sorabis condita et munita. Nihil enim erat tum temporis, quod incrementum amplis et munitis vrbibus, prout noſtra aetate videmus, daret. Non aderat commerciorum frequentia, non inhabitatio illuſtrium hominum, quorum vita delicata, et mollitie affluens, attrahit opificum artificumque manus. *Zupaniis*, ſiue *pagis*, potius haec data ſunt nomina, ex quibus poſtea *Burgwardia*, ea aetate ſic dicta, ſunt orta, quibus praecipua caſtella, vel praefecturas, denotabant, ad quae Burgwardia tractum pagorum circumiacentium refe-

n) Tit. XI. p. 155. conf. tit. VIII. p. 90.

referebant. Id quod antiquiſſima Diplomata teſtantur, quae apud Meibomium, Tomo primo ſcriptorum, et Sagittarium, in antiquitatibus Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, leguntur. Eiusmodi *pagos* Miſniae triginta quatuor, et *Burgwardia* quadraginta, recenſent clariſſimi Collectores ſpicilegii curioſi Saxoniae ſuperioris. o) De *Schidinga*, Thuringiae vrbe, ad Vnſtrutum ſita, antiquiſſimi quidem ſcriptores, *Gregorius Turonenſis*, Libro tertio Hiſtoriae Franciae, p) itemque *Witichindus Corbeienſis*, Libro primo Hiſtoriae, teſtantur, a Saxonibus, hos fines ingredientibus, occupatam fuiſſe; ſed celeberrimus *Conringius*, in diſſertatione de vrbibus Germanicis, ſupra laudata, oppidum, pro more illius ſeculi, nullis moenibus cinctum fuiſſe, contendit, quod exemplo Würzburgi declarat. Si enim in Thuringia, vel Miſnia, vrbes munitae exſtitiſſent illa aetate, Carolo magno, Romanorum Imperatori, et Carolomanno, aliisque, qui, has ingreſſi oras, Sorabos ſibi tributarios reddiderunt, obſidendae et expugnandae fuiſſent. At enim vero, ſcriptores rerum Saxonicarum aeui medii, qui, facta Caroli, et ſucceſſorum, accurate conſignarunt, nihil quicquam de munita, vel expugnata, in Miſnia vrbe, commemorant. Et cum non nulla deſcribunt loca, ea vel *caſtella*, vel *vicos nobiles*, fuiſſe, exiſtimandum eſt. Ditmarus Merſeburgenſis demum incipit recenſere vrbes Miſniae ab Henrico Aucupe exſtructas, murisque cinctas, et inter eas *Miſnam*, *Quedlinburgum*, et *Merſburgum*, qui auctor, fide dignus, priores a Sorabis exſtructas, et vel a Carolingis, vel Henrico Aucupe, poſtea expugnatas, vrbes non praetermiſiſſet, ſi vllum earum veſtigium deprehendere licuiſſet.

o) Part. I. §. 78.

p) cap. 4. et 7.

§. XIV.

Sed, ex Witichindi Corbeienſis Annalibus, de cuius auctoris fide in Hiſtoria nemo facile dubitat, in primis illi producunt vrbem *Grunam*, vel *Gronam*, qui vrbes in Dalemincia, ante Henrici Aucupis tempora, a Sorabis conditas fuiſſe, ſtatuunt, eamque ab hoc Imperatore, Soraborum victore, anno DCCCCXXVIII. ſuperatam eſſe et euerſam, contendunt. Verba Witichindi ita habent: *Cumque Henricus, illa vrbe*

(Brenna-

(Brennaburg) potitus, signa vertit contra Dalmatiam; et obsidens vrbem, quae dicitur Grona, vigesima tandem die cepit eam. Praeda vrbis militibus tradita, puberes omnes interfecti, pueri et puellae captiuitati seruatae. Posthaec Pragam adiit cum omni exercitu, Bohemorum vrbem, Regemque eius, in deditionem accepit. His verbis vera scripsisse Witichindum, omnes et singuli quidem fatentur scriptores; de vera autem lectione *Gronae* maxime inter se dissentiunt, et multi, nostra adhuc aetate, disputant, dubitantes, an genuina sit lectio, cum *Grona* vrbs ad *Daleminciam*, siue *Dalmantiam*, ab hoc scriptore referatur. Clarissimo quidem MEIBOMIO, in notis ad Witichindum, *Grona* placet, addit tamen in notis: *Vrspergensis legit Grana,* et quaedam exemplaria habent *Kietni,* quaedam *Kiesni. Albertus Cranzius,* in Saxonia, *Meibomio* accedit, et *Gronae* lectionem praefert. *Sigebertus* vero *Gemblacensis,* de hac Henrici expeditione scribens, *Ganam,* vrbem, ab eo deuictam esse, inquit: *Henricus, Rex, Ganam, vrbem Dalmatiae (Dalmanciae) cepit, et Dalmatis (Daleminciis) tributum imposuit.* Illustris GODOFREDVS GVILIELMVS LEIBNITIVS auctoritatem quidem *Sigeberti* magni aestimat; dubitat vero, eum hoc loco *Ganam* intellexisse, eaque de causa, in introductione scriptorum Brunsuicensium, affirmat, aliam vrbem in Dalemincia, ad Muldam sitam, notari. Clarissimi auctores spicilegii superioris Saxoniae vrbis *Ganae* lectionem probant, ad fluuium eiusdem nominis sitae, verbis SIGEBERTI commoti. q) Quia vero in *Dalemincia* antiqua nullum vrbis *Ganae* nomen et vestigium apparet vsquam, et pagus iste, qui, nostra aetate, *Gana* adhuc dicitur, nihil ostendit, ex quo de vrbe, olim ibi posita, iudicari queat, ego de hac lectione pariter dubito. Hac deceptus videtur ERASMVS STELLA, alias *Stuler* dictus, artium liberalium et Medicinae Doctor, Proconsul et Physicus ciuitatis Cygneae, in carmine heroico, cui nomen *Molbii* dedit, et arces, oppida, fana et iuga, describit, quae rapidus *Molbius,* siue *Molda,* ambit, qui Grimam primis temporibus *Ianam,* a bicipitis Iani templo, ibi posito, postea vero, ex furore Caesaris Henrici, quo in delendo pertinaci populo Sorabico, eorumque muris et templis diruendis, vsus est,

q) *Part. III. p. 377.*

est, *Grim*, siue Grimam appellatam esse, prodit. r) Ex quo vero auctore, et ex quibus documentis, haec hauserit STELLA praedictus, non addit. Versus eius Heroicos hic repeterem, si metri et dictionis elegantia se commendarent. TENZELIVS existimat, in Codice Dresdensi MSto hanc Witichindi vrbem *Kietni* appellari, et *Cöthenam*, oppidum Anhaltinum, intelligi. s) Celeberrimus BECMANNVS huic etiam sententiae, in Historia Anhaltina, quam insigni labore et industria confecit, inhaeret, et oppidum Anhaltinorum *Cöthen* a Witichindo notari, putat, ductus partim nominis conuenientia, partim ratione situs, partim etiam, quod multa hominum ossa, in tractu isto reperta, cladis ingentis argumentum faciant. t) GEORGIVS FABRICIVS *Chietna* ex verbis Witichindi eruit, et *Giethanam* vel *Geitham*, intelligendam scribit. u) Sunt adhuc alii, qui Gietnam, siue Gietanam ab Grona diuersam fuisse, arbitrantur, vel, cum SPANGENBERGIO, x) *Cranach* legendum clamitant.

r) *Tom. III. scriptor. rer. Misnic. Menck. pag. 2050.*

s) *vid. Tom. I. script. Brsw. Leibniz. p. 515.*

t) *Histor. Anhalt. Lib. 4. Part. 3. c. 1.*

u) *Orig. Sax. p. 114.*

x) *in Chron. Henneb. p. 71.*

§. XV.

Qui omnes iam commemorati auctores quamuis se rem acu tetigisse, et veram Witichindi verborum lectionem e tenebris in lucem protraxisse, existiment; adsunt tamen alii, insigni rerum scientia et auctoritate praediti rerum Misnicarum scriptores, qui diuersam ab iis sententiam fouent, et *Grunam* ex Witichindi verbis formant, et locum infra Ileburgum, nostra aetate hoc nomine gaudentem, sub clientela Generosissimi Domini a Dieskau, intelligunt. Inter quos primo loco nominandus est MATTHAEVS DRESSERVS, qui, in Libro *de vrbibus Germaniae*, *) Henricum Aucupem *Grunam*, infra Ileburgum, ad Muldam, Sorabis ereptam, in suam redegisse potestatem, scribit. Post hunc audiendus est PETRVS ALBINVS, qui, in Chronico Misniae, Titulo VIII *) Henricum Aucupem Soraborum castellum, *Gronam* dictum, infra Ileburgum, graui obsessione cinctum, expugnasse, commemorat. Quam sententiam Titulo vndecimo *) iterum

*) *p. 41.*

*) *p. 95.*

*) *p. 145.*

C mutat

mutat, et dubitat plane, Witichindum *Grunam* prope Ileburgum intellexisse, his verbis: *wie wohl es andere von irgend einer Stadt, so besser droben in Meissen, an dem Wasser* Gana *vielleicht, gelegen, welches Orts den die* Dalemincii *gesessen seyn, wollen verstanden haben.* IOH. CONRADVS CNAVTHIVS, in Chronico Cellae veteris, *Gronau*, vel *Grunau*, vrbem, ab Henrico Aucupe deuictam, infra Ileburgum quoque ponit, y) probatque, Ditmarum Merseburgensem eius quidem mentionem fecisse, de situ vero nihil certi statuisse. His adiungendus est M. IEREMIAS SIMON, qui, in Chronico Ileburgensi, totam se rem confecisse, veramque Witichindi lectionem inuenisse, putat, cum ex magno vrnarum feralium numero, *Grunae*, in Discauiensi praedio, aliquot abhinc annis, reperto, colligit, vel castellum ibi, vel vrbem Soraborum copiosam, multisque hominibus affluentem, olim exstitisse, et nostra adhuc aetate, turrim munitissimam egregiae altitudinis, eo in loco conspici, de eaque vulgi opinionem esse, quod ante natum Christum sit exstructa. z) Cuius sententiae CHRISTIANVS HENRICVS WEISIVS, in antiquitatibus Misnicis, FRIDERICVS STRVNZIVS, in Dissertatione de Dalemincia, et M. FRENZELIVS, in Disputatione de Ileburgo, aliique, accedunt.

y) Part. VI. p. 61. 62.

z) p. 10. 11.

§. XVI.

Quoniam vero ex supra adductis Witichindi verbis patet, *Grunam*, de qua disputatur, in *Dalemincia* sitam, ab Henrico Aucupe superatam et dirutam fuisse; Ileburgum contra ad pagum Daleminciae a Sorabis nunquam relatum esse, qui pagus non ad vrbem Wurcenam, nedum Ileburgum, se extendebat, id quod ex descriptione pagorum, a Sorabis Venedis cultorum, constat, quorum nomina auctores spicilegii Saxonici nobis exhibent; *) sequitur omnino, hoc castellum, vel hanc vrbem *Grunam*, in Dalemincia quaerendam esse, vt Witichindus scribit. Qua de re illi, qui rectius accuratiusque antiquam Soraborum Geographiam perquisiuerunt, non

*) p. 374. Part. 3.

Gru-

Grunam, ſed *Grimam*, in Dalemincia ſitam, a Witichindo notatam, ſtatuunt. Princeps horum eſt ZACHARIAS SCHNEIDERVS, ſedulus antiquitatum Miſnicarum indagator, qui eo maiorem meretur fidem, quo meliorem monimentorum publicorum copiam, ex tabulario publico, ad manus habuit. Hic cum vrbem Soraborum, a Witichindo Corbeienſi deſcriptam, in pago Dalemincia ſitam legeret, neque tamen, in hoc pago, *Grunam*, ſed *Grimam* deprehenderet, facile animaduertit, quod *Gruna*, pro *Grima*, a ſcriptoribus corrupte expreſſa ſit. Ita enim, in Chronico Lipſienſi, inquit: *) *Es hat leichtlich geſchehen können, daß das erſte Strichlein vom Buchſtaben* m *zum* i *gezogen, und aus Grima Gruna gemacht worden.* Quam lectionem inprimis probat celeberrimus DAVIDES PEIFERVS, ICtus, exquiſitiſſima doctrina, et longo rerum vſu, aeternisque in Rem publicam Saxonicam meritis celeberrimus, qui, in Lipſia, ſiue Libris quatuor originum Lipſienſium, inquit: *) *Erat in Sorabia oppidum ad Muldam amnem, Grima, ſatis, vt in illa aetate, ſitu et munimentis tutum.* Ad id exercitum Henricus admouens, caſtra prope portas locat. Sorabi, qui in oppidum, quantum diutinae obſidioni tolerandae ſatis eſſe putarent, frumenti ex agris conuexiſſent, telaque, arma, et cetera paraſſent, in Imperatoris conatus, variis animis, illudere, militem Germanum probris de vallo onerare, et minis increpare contemtum irriſumque. Id Imperator aegre paſſus, nec petulantiae impunitatem ad hanc vrbem, ſed ad ſummam vniuerſi belli pertinere ratus, omnem capti oppidi praedam pro concione edicit, militum fore: Scalas ad expugnationem parari, paratas electis per manipulos viris diuidi, mox ferri, iisque erectis applicatisque aſcendere, et vi ſumma multis ſimul partibus aggredi vallum iubet. Milites tam obſeſſorum inſolentiam vlciſcendi, quam diripiendi oppidi ardore incenſi, vbi ſignum eſt datum, ingenti clamore, ab omni parte, ad vallum ſubeunt, tantoque conatu et tumultu adeo atroci coepta oppugnatio, oppidanos, terrore repentino, et vndique circumfuſo, ita amentes fecit, vt animis alio auerſis, neque arcere tot locis tranſcendentium vim, neque

*) p. 56.

*) L. I. p. 91.

que certatim iam inuadentium impressionem sustinere diutius possent. Quo vero magis vallo deturbati deiectique propugnatores instantibus Germanis cedebant, eo maior terga vertentium caedes erat, donec omnibus, quos sors victoribus armatos obtulisset, trucidatis, oppidum, vigesimo die, quam obsessum fuerat, captum, et post direptionem, euersum, penitus fuit. In sequenti anno Sorabos Lusatios et Boëmos reparasse bellum, quidam scribunt, quos Imperator, copiis in aciem eductis, tanta strage ceciderit, vt ille vltimus ipsis dies fuerit, signa cum Germanis conferendi, Boëmis, qui inter auxilia Sorabica fuerant, ad vnum omnibus post victoriam interemtis. Quibus auctoribus, fide dignis, vt accedam, quod nimirum *Grima*, non *Gruna*, Soraborum vrbs, ab Henrico Aucupe sit superata, Chronicon MStum Grimense, antiqua scribendi ratione, et vetustis literarum ductibus, confectum, me in primis mouet, in quo statim ab initio scriptum legitur: *Die Sorben Wenden haben im Anfange hier an der Mulda ein Schloß angelegt, so* Grim *genannt worden.* Quae appellatio si ex Soraborum lingua rite examinatur, et cum Tartarorum vocabulo, his temporibus adhuc vsitato, confertur, qui castellum, siue locum munitum, *Krim* vocare solent, vt PHIL. IO. STRAHLENBERGIVS, in Geographico Opere Russiae, Siberiae et Tartariae, obseruat; quilibet per se facile diiudicabit, quod a Witichindo Corbeiensi ex Soraborum lingua *Grima* potius, quam *Gruna*, posita sit.

§. XVII.

Longe alia vero *Gruna* vel *Grona* fuit, de qua pariter *Witichindus*, in Annalibus Saxonicis, commemorat, quae Henrico, Duci adhuc Saxoniae, tum temporis periculosa admodum fuit, cuius praesidio a Conrado primo, Caesare Romanorum, aliquamdiu inclusus quidem, et ab Eberhardo, Francorum Duce, obsessus, sed Thiatmari, siue Ditmari, astuto consilio liberatus, et postea in gratiam a Conrado receptus, eiusque successor declaratus fuit. De qua re multa habet celeber-

leberrimus *Struuius*, in Corpore Hiſtoriae Germanicae. *) SCHATENIVS, in Annalibus Paderbornenſibus *) de hac Grona, inquit: Etſi alii Gronauiam, ad Lenam fluuium, in Hildeſienſi Dioeceſi, alii Groningam, in Halberſtadienſi tractu, interpretantur; certius tamen ad Viſurgim in ſolo Weſtphalico Grona traditur, vbi modo arx Gronda conſpicitur, quondam epiſcoporum Hildeſienſium poſſeſſio, nunc Brunſuicenſium. Vrſpergenſis et Crantzius Gruonam: Diplomata cetera Gruonaham vocant, qui locus olim celebris Imperatorum acceſſu fuit.

*) pag. 213.

*) lib. 3. p. 248.

§. XVIII.

Sed vt ad *Grimam* reuertar: ſatis quidem ex ſupra dictis conſtat, Sorabos Venedos primos huius caſtelli, in Dalemincia, conditores fuiſſe; multo tamen clarius euidentiusque ex nominis et appellationis huius exploratione id patebit. Vnum vero obſtare videtur: quod nempe Witichindus Corbeienſis, verbis, ſaepius citatis, *Grimam* vrbem appellitet, et, in Chronico MSto Grimenſi, contra, de quo iam dixi, caſtellum dicatur. Oritur proinde quaeſtio: vtrum Sorabi prius vrbem, an caſtellum, hoc in loco, condiderint? Quantum ex conſuetudine illorum temporum, et moribus huius populi, coniicere licet, ſtatuo: caſtellum, cuius, in Chronico citato, expreſſis verbis fit mentio, prius in monte, proxime Grimam, cis Muldam, ſito, ex quo omnes fere aedes, et vici vrbis huius, conſpici poſſunt, Sorabos exſtruxiſſe, ex eoque vrbi, in valle ad fluuium poſitae, nomen poſtea dediſſe. In hoc monte, noſtra adhuc aetate, rudera et veſtigia leguntur, ex quibus colligere licet, caſtellum ibi exſtructum, et ſine dubio *Burgwardium*, temporibus Saxonum, ſub auſpicio Henrici Aucupis Soraborum fines inuadentium, fuiſſe, quia ab omnibus etiamnum *der Burgberg* appellatur, et, hoc tempore, ad praedium Doeringianum pertinet.

§ XIX.

Vnde vero nomen *Grima*, in Soraborum lingua, originem traxerit, et quid hoc ipso indicare voluerint populi illi, de eo multae variaeque iam olim Virorum doctissimorum, IOACHIMI CAMERARII, ADAMI SIBERI, GEORGII FABRICII, aliorumque, fuerunt sententiae. Nostra quoque aetate non omnes de hac re inter se consentiunt. LAVRENTIVS PECCENSTEINIVS *) a Venedorum vocabulo *Chrem, implorare, flagitare, orare*, originem trahere, existimat, eo, quod ibi idolum, in ponte, super Moldam exstructo, habuerint lapidi incisum, longoque tempore id religiose coluerint Sorabi, sub imagine Iani bifrontis. Producit, ad sententiam suam confirmandam, distichon doctissimi Poëtae, in memoriam huius superstitionis confectum:

*) Part. II. Poliograph. p. 74.

Vrbs antiqua iacet, veteres dixere furorem,

In qua bifrontis templa fuêre Dei.

A *cremando* qui deducendum Grimae nomen existimant, quod saepius igni cremata sit, vel singulis annis Idolo *Zörneuizio*, *Soraborum* quasi *lumini*, Sorbenwiz, hoc in loco erecto, et religiose culto, viuum hominem cremauerint, cumque per ignem in coelum transmiserint, sacra quidem, a Sorabis iis temporibus obseruata, hoc modo commemorant; sed cum secum rite reputauerint illi, hos Sorabos Latinae linguae plane imperitos fuisse, ab hac sententia facile discedent. De hac hominum immolatione, tum temporis vsitata, disserit GEORGIVS SPALATINVS, in Libro, de rebus gestis Soraborum in Misnia, inquiens: Soraborum constans fuit sententia, Daemonia sanguine humano placari posse, eaque de re Sacerdos Zorneuizius persuadebat eis: quotannis huic idolo hominem, cuiuscunque sortis, dicandum esse. Quid de REINERI REINECCII habendum sit sententia, qui huius vrbis appellationem ab Italiae oppido, *Cremona*, deducendam putat, per se quilibet iudicare poterit. Qui a voca-

vocabulo Russorum, *Gremitz*, hoc nomen deriuandum suadent, quod *Echo* notat, quia montes Grimae circumiecti, petraeque, quantamcunque accipiant, vocem, multiplicato sono, reddunt, meris coniecturis indulgent, ex quibus nihil certi probari potest.

§. XX.

Rectius meliusque mihi sentire videntur illi, qui huic loco nomen a Sorabis Venedis, in memoriam *Chremae*, insignis Tartariae oppidi, quod antea in patria sua obtinuerunt hi populi, per migrationem vero in Hermundurorum fines, dereliquerunt, inditum esse contendunt, in quorum numerum est referendus GEORGIVS FABRICIVS, felicissimus originum Saxonicarum conditor, id quod de eo PECCENSTEINIVS, in Theatro Saxonico, obseruauit. *) Multis omnino locis, pagis, et castellis Sorabos, has oras ingressos, nomina, in memoriam locorum, quae in Sarmatia et Tartaria olim inhabitauerant, imposuisse, iam supra a me dictum et demonstratum est. Nonnulla iam proferam, vt rei veritatem quisque videat. CONSTANTINVS PORPHYROGENNETVS, de administrando imperio, oppida Seruiorum vel Soraborum enumerat, quae in Croatia olim tenuerunt, vt Dresneck, Lesneck, Salenes, Dalen, Stolpun, Cori, et alia. Quis negabit loca, castella, et tandem oppida, in his oris condita, iisdem nominibus, in memoriam pristinorum, insignata esse, vt *Dresen*, postea *Dresden*, *Leisnig*, Selniz, vel Seliz, Dalen, Stolpen, Köhren etc. Multa alia praetereo, quae, in Historia Soraborum, a clarissimis auctoribus spicilegii curiosi Saxonici *) sunt obseruata.

*) *Poliogr. p. 73.*

*) *Part. II. p. 182.*

§. XXI.

Pari modo ex *Krim*, vel *Crimea*, oppido satis celebri, quod Seruii in Tartaria, primis temporibus, inhabitarunt, et nostra aetate in Tartaria minori adhuc inuenitur, ex quo *Tartari Crimenses* appellantur, huic loco etiam nomen impo-

posue-

posuerunt, eaque de causa *Crym* a Brotusio, vel *Grym*, etiam *Grim*, vel non raro ciuitas *Grimis*, in antiquissimis Diplomatibus, passim citatis, nominatur. Vastationem et euersionem huius castelli, sequentibus temporibus susceptam idem chronicon MStum Grimense, §. XVI a me citatum, ad annum millesimum, post Christum natum, commemorat, et confirmat, quod, cum iam diu receptaculum praedonum fuisset, ab Ottone tertio, Imperatore Saxone, (non Friderico I. vt alii volunt, vtpote qui imperio, hoc anno, nondum praefuit) oppugnatum et disiectum sit, his verbis: *Im Jahr 1000 nach Christi Geburth ist das Schloß zwischen Grim und dem Dorf Höhnstet gelegen ufm Burgberge, welches eine lange Zeit eine Festung und Auffenthalt der Räuber gewesen, vom Keyser* Otto, *dem dritten belagert, zerstöret, und zerbrochen worden.*

§. XXII.

Dubitandum igitur non est, *Grimae* nomen a Sorabis ortum, et a Saxonibus, post tempora eorum, cum in has terras peruenerunt, reseruatum esse. Cum enim hi populi, inter Albim et Salam habitantes, suis non contenti regionibus et sedibus, vicinam Thuringiam et Saxoniam inuaderent, omnia pro lubitu agerent, multaque loca deuastarent et diruerent, Carolus, Imperator Romanorum, virtute et rebus gestis Magnus appellatus, coniunctis Francorum et Saxonum viribus, conatus eorum reprimere studuit. Et cum ipse Imperator, multis aliis rebus tum temporis districtus, huic bello contra Sorabos Venedos interesse non posset, filio, Carolomanno, rerum summam commisit, qui, omni felicitate, cum his populis pugnauit, et, Duce eorum, Miloducho, occiso, castellisque praecipuis, et pagis, ad Salam et Albim, in potestatem redactis, victor domum rediit, liberaliterque a Patre fortissimo acceptus est, id quod ex Eginhardo, Monacho Engolismensi, Alberto Stadensi, Poëta Saxone, Annalibus Saxonicis, aliisque scriptoribus et documen-

cumentis perſpicere licet. Et cum non raro Sorabi, licet debellati, Saxonibus denuo repugnarent, ſeque iis opponerent, Ludouicus pius arma iterum contra eos ſumſit Imperator, Saxones in has regiones miſit, qui in hac expeditione bellica felices fuerunt, et omnes eorum prouincias et partes occuparunt, de qua re Annales Fuldenſes, ad annum 897 teſtantur. Cum vero, ſeculo ſequenti, iterum fidem datam frangerent Sorabi Slaui, et rebellarent, Hunnosque, per Italiam et Germaniam vagantes, in partes ſuas traherent contra Saxones, Otto, Dux Saxoniae, Henricum, filium, Aucupem dictum, cum exercitu inſtructo in fines Soraborum abire iuſſit, vt hunc populum admodum rebellem ſub iugum mitteret, et loca eorum munita, et, inter haec, quoque *Grimam*, in Dalemincia, euerteret. Quod cum ex voto ſuccederet, Henricus breui poſt inducias prius cum Hunnis, qui a Soraborum ſtabant partibus, per nouem annorum ſpatium, fecit, et interea oppida, in his oris, exſtruenda et munienda curauit, vt Quedlinburgum, et Merſeburgum, quod muro cinxit, contra Milcienorum vero inuaſiones, Miſenae caſtellum condendum iuſſit, id quod ex Ditmaro Merſeburgenſi, antiquiſſimo rerum Miſnicarum conditore, conſtat, qui ait: *) *Imperator, Henricus, montem, iuxta Albim poſitum, et arborum denſitate tunc occupatum, excoluit, ibique arcem, propugnaculum, nec non vrbem ſtatuens, eidemque de riuo quodam, qui in parte Septentrionali fluit, nomen Miſna impoſuit, quam, vt nunc in vſu habetur, praeſidiis, et aliis impoſitionibus muniuit, vt ex ea Milcienos, ſuae ſubactos ditioni, cenſum perſoluere, cogeret.* Atque hoc modo Sorabos, tributarios factos, partim in fidem recepit Imperator, partim eiecit, et Hungaros, qui a Sorabis in ſubſidium vocati erant, vt ſupra dictum, et, loco tributi, ab Henrico canem villaticum, auribus mutilatum, et ſcabie ſordidum, receperant, ingenti clade, ad Merſeburgum, deleuit, de quibus omnibus Witichindus, Hermannus Contractus, Sigebertus Gemblacenſis, et alii, teſtantur.

*) *Lib. I. p. 9. 10.*

§. XXIII.

Quibus rebus feliciter confectis, toti Germaniae, et in primis Misniae, noua lux affulsit, et Henricus victor compluribus in ea exstruendis vrbibus operam dedit, et vere Theseus Saxonicus factus. Vt enim hic Athenienses, ita ille Saxones, et alios Germanos, ex agro in vrbes conditas compulit, vrgentibus Hunnorum irruptionibus, ab iis iterum susceptis, quo miseris tutus daretur receptus. Nonus quisque, ex instituto illius, ex agro in vrbem migrare iussus est, quibus singulis victus ab iis, qui in agro remanserunt, suppeditatus est, vt rebus,in vrbibus rite instituendis eo melius vacarent. Quod institutum Witichindus Corbeiensis exponit, inquiens: *) *Henricus, Rex, recepta pace ab Vngaris ad nouem annos, quanta prudentia vigilauerit in munienda patria, et in expugnando barbaras nationes, supra nostram est virtutem, edicere. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in vrbibus habitare fecit, vt ceteris confamiliaribus suis octo habitacula exstrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet seruaretque, ceteri vero octo seminarent, et meterent, frugesque colligerent nono, et suis eas locis reconderent. Concilia et omnes conuentus, atque conuiuia in vrbibus voluit celebrari. In quibus exstruendis die nocteque operam dabant, quatenus in pace discerent, quod contra hostes in necessitate facere debuissent. Vilia, aut nulla extra vrbes fuere moenia.*

*) *Lib. I.*

§. XXIV.

Originem igitur Grimae, de qua dixi, si a Sorabis deriuandam, et, sub Henrici Aucupis imperio, vna cum arce, postea munitam amplificatamque dixero, nemo me iure reprehendere poterit. DITMARVS quidem Merseburgensis, qui,inter omnes,auctoritate valet, mentionem eius non facit; quia tamen *Henricum Merseburgum muro lapideo cinxisse, ibidemque templum fecisse, et ceteras quoque vrbes, ad salutem imperii, et fana in his,ad Dei laudem,condidisse, scribit,* Libro

bro primo; *) a vero minus aberrauero, si *ceteris vrbibus* *Grimam* quoque contineri existimem. Et sicut annum illius seculi silentio praeteriit idem Ditmarus, quo Merseburgum ab Henrico muro cinctum est: ita nemo facile de aliis vrbibus, et pariter *Grima*, certi quicquam statuet, quo anno huius seculi a praedicto Imperatore haec vrbs muniri et amplificari coepta sit. In Chronico MSto, saepius citato, consignatum inuenio, Henricum, ante praelium, ad Merseburgum, cum Hunnis ineundum, milites suos, prope *Grim*, ad Muldam, instruxisse, et, hac pugna feliciter pugnata, eo rediisse, sedemque ibi fixisse, de qua re etiam PECCENSTEINIVS, in Theatro Saxoniae, nonnulla *) commemorauit. Quae victoria ergo Henrici si iuxta Sigebertum Gemblacensem, anno DCCCCXXXII deportata fuit, facile exinde colligendum est, hanc vrbem, eodem anno, ab hoc Imperatore munitam et auctam esse. In annalibus vrbis, Misenae, GEORGIVS FABRICIVS ex multis numis argenteis, inter Grimam et Lausigam, in pago, Bardo minore, sub terra, inuentis, effigiem Henrici, dextra manu auem tenentis, repraesentantibus, coniicit: hunc Imperatorem vrbi Grimae incrementa dedisse. Sed ex numis, cum Principis imagine dextra manu alitem gestantis, non semper iudicari potest, Henrici Aucupis fuisse. Alii quoque Principes, venationes et aucupium inter delicias reputantes, cum alite repraesentati sunt, vt sigilla, tabulae, et monimenta antiqua, testantur, de quibus STRVVIVS, in Corpore Historiae Germanicae, agit. *) Multa adhuc restant de hoc argumento in medium proferenda, quae, breui tempore, si Deus vires et facultatem, inter labores assiduos, concesserit, cum eruditis, antiquitatum patriae amantibus, libens volensque communicabo.

*) *pag. 318.*

*) *Part. II. p. 31.*

*) *p. 216.*



